Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 331
Quelle:
Copyright:

Colon. 1621. 4. P. II. p. 300. Quomodo vero e nostro Exemplo perfici posset, vel adscripta hic initii collatio docet:

Codex	Editio.
Deus immensus et eternus, qui loco non capitur, nec tempore mutatur, qui immensa bonitate sua et eterna cuncta potenter condidit, ipse eadem bonitate sua &c.	*Deus immensus et aeternus, qui loco non capitur, nec tempore mutatur, qui immensa deitate sua et aeterna cunctipotenter condidit, ipse idem bonitate sua* &c.

II. *fol.* 111. *Ricardus de contemplacione, ejusque commendatione.* Duos *de Contemplatione* Tractatus edidit Noster, quos Posteri nomine *Benjamin minoris* et *majoris* distinxerunt. Et priorem quidem recte *Benjamin* adpellarunt, quoniam in hujus Adolescentuli allegoria totus est; alterum vero nescio qua ratione; nam in solius Arcae Foederis mystica expositione insumitur, ut vel ipsum docet Exordium: *Misticam illam moysi archam libet si liceat — reserare* &c. Hinc a Codice nostro abest ó *Benjamin*, et margo superior tantum inscribitur: *De maiori contemplatione*, neque aliud Rubrica calcis. Interim Libris V. absolvitur in Capita tributis, ut Edit. *supracit.* P. I. p. 227. quacum etiam lectio melius conspirat. In Litera principe depictus est *Richardus* precans pallio nigro vesti albae talari injecto, caput pileolo caeruleo tectus, qui habitus Canonicorum reg. ejus aevi fuerit. Tractatus *Benjamin* alio Codice habetur, ut *Index* docet, quemadmodum et aliud Exemplar nostri.

CCXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 156. f. per duas columnas luculente scriptus, coloribus illustratus, et prius, ut non uno in margine notatum est, *Fratrum Carthusiensium iuxta pragam extra muros* sequentia continet: I. Expositionem, seu *Notas* potius in *Apocalypsin* ἀδεσποτος, quarum initium: *Reuelacio ad remouendum uelamen litere. Ps. Reuela oculos meos. Remocionem figure Dan. V. Vere deus noster. amocionem uelaminis ignorancie. Cor. XI. Nos autem reuelata facie. Johannes in quo effulsit gratia conuersationis angelice. perfectionis apostolice. predicationis euangelice. contemplationis anagogice* &c. Ita stringendo proceditur per *Capita* XXIII. usque ad hunc finem: *scripturam autem legam tibi rex et interpretationem eius ostendam tibi.* Additur: *et completus est liber*, et Index alphabeticus Vocum memorabilium, quae etiam per decursum in marginibus notatae sunt. In cassum in Autorem indagavi; nec mirum inter tot, quos *Apocalypsis* exercuit. R. 1999

II.